

nius Bonifacius causas ipsas in eo statu, in quo fuerant coram ipso, iuxta formam & tenorem petitionis supradicte nobis audiendam commisit. Cumque postmodum venerabilis vir dominus Nicolaus tunc decanus predicte vpsallensis Ecclesie, per Capitulum ipsius, electus esset in eiusdem Ecclesie archiepiscopum, & Pastorem, et pro huiusmodi prosecutione electionis ad Romanam Curiam accessisset, et in eadem Curia pro prosecutione electionis ipsius, aliquandiu mora protracta, tamdem omni Juri quod sibi in electione huiusmodi competit, in manibus eiusdem domini nostri renunciauit expresse, Qua per ipsum dominum nostrum renuntiatione recepta, idem dominus noster nobis commisit oraculo uiue uocis, ut predictam suspensionis sententiam, si qua fuerat, et quatenus predictum dominum Nicolaum tunc Decanum tetigit, relaxaremus ad cautelam, ipsumque ad Archiepiscopalem & Episcopalem dignitates habilem, auctoritate sua reddere curaremus. Nos itaque mandatis eiusdem domini nostri humiliter obedire uolentes, predictam suspensionis sententiam siqua fuit, et in quantum predictum dominum Nicolaum tetigit, auctoritate predicta relaxamus ad cautelam, & relaxatam per presentes denuntiamus, ipsumque ad Archiepiscopalem & Episcopalem habilem reddimus dignitates. In Quibus rei testimonium presentes litteras mandauimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Anagnie. Anno domini Millesimo ducentesimo Nonagesimo Quinto Iudictione VIII. die XXIII Mensis Julij Pontificatus predicti domini Bonifacij pape VIII. Anno Primo.

Sigillet i rödt vax, något skadadt.

**1136.** **1295 d. 17 Aug.** **Anagni.**

Päfven Bonifacius VIII:s Bulla, hvarigenom Nils Allesson utnämnes till Ärke-Biskop i Upsala, hvarjemte Pallium öfverlemnas och Cardinalen Biskop Johan förrätta invigningen.

F. 1. 346. An. 1. Ep. 384.

*BONIFACIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Nicolao Archiepiscopo Vpsallensi Salutem &c.*

Cor nostrum jocunditate perfunditur, et in Domino ex intimis exultamus cum ipso faciente, qui concordiam in sublimibus operatur, in Ecclesiis vacantibus personas concorditer eligi contingit ydoneas in pastores, ad quarum expeditionem celerem nos in plenitudine sollicitudinis superna dispositio vocati, officii nostri debitum, vigilanti studio impartinur. Sane bone memoria Fratre Johanne tunc Aboensi Episcopo, qui post obitum pie memorie Magni Vpsallensis Electi et consecrati, ac dilectis filiis... Preposito, et Capitulo Vpsallensis Ecclesie, ad ipsius Ecclesie regimen concorditer extitit

postulatus, ante receptionem pallei viam universe carnis ingresso, prefati Prepositus et Capitulum vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa ut moris est convenientes in unum et Spiritus Sancti gratia invocata, deliberantes in hujusmodi negotio per viam scriptinii procedere, Tres ex dicto Capitulo videlicet Eversardum Presbiterum, Gerardum Diaconum, et Emingum Subdiaconum Canonicos ejusdem Ecclesie, ad scrutandum ea vice, et singulorum omnium vota unanimiter et concorditer elegerunt, qui secedentes in partem, votis ipsorum, et omnium singulorum exquisitis, te tunc Decanum ipsius Ecclesie in remotis agentem in eorum et predicte Vpsallensis Ecclesie Archiepiscopum elegerunt, contra quam electionem de te factam, et ejus processum per dilectum filium Karolum Edandi Canonicum ipsius Ecclesie tunc in Romana Curia existente extitit appellatum, et negotio ipso ad Sedem eandem legitime devoluto, dilectus filius Frater Petrus de Murrone tunc Celestinus PP. V. Predecessor noster, causam electionis hujusmodi nobis tunc tituli S. Martini in Montibus Presbitero Cardinali discutiendam commisit, nobis itaque ante discussionem plenariam electionis predicte sicut Domino placuit ad apicem apostolatus assumptis, tu cupiens tue provideri quieti, juri si quod tibi in electione hujusmodi extiterat acquisitum in nostris manibus renuntiasti expresse. Nos autem hujusmodi renuntiatione recepta, ad provisionem ipsius Ecclesie salutarem debita solertia consurgentes, ut ipsam advertamus a dispendiis que solent Ecclesiis ex vacatione diutina provenire, in te tunc Decanum ipsius Ecclesie ut premittitur, quem fidei dignorum testimonio acceperimus virtuosum, oculos direximus nostre mentis, sperantes in Domino, quod per ministerium tue sollicitudinis et virtutis prefata Ecclesia in prosperitatem consurget optatam, et brachio consolationis subnixa in spiritualibus et temporalibus auctore Domino gratis proficiet incrementis, Te ipsi Vpsallensi Ecclesie de fratribus nostrorum consilio, preficimus in Archiépiscopum et pastorem, tue providentie curam et administrationem ipsius Ecclesie spiritualiter et temporaliter committendo, ac postmodum tibi a Ven. Fratre nostro J. Tusculan. Episcopo de mandato nostro munere consecrationis impenso, palleum de corpore B. Petri sumptum insigne pastoralis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum tibi per dilectos filios Matheum Sancte Marie in Portieu Guillelmum Sancti Nicolai in Carcere Tullian., et Benedictum Sanctor. Cosme et Damiani Diaconos Cardinales, fecimus exhiberi, salvo jure Ecclesie Lundensis que in eadem Ecclesia Vpsallensi ius primatie asserint se habere, Fraternitatem tuam rogamus et hortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus curam et administrationem ipsius Ecclesie tue fidelitati commissas, devote suscipiens, sic prudenter gerere studeas, ipsarumque

que onus prudentius supportare, ut in grege tibi commisso multiplicato talento superni adjutus auxiliis una cum grege ipso merearis in districto examine ad gloriam sempiterne leticie introduci. Datum Anagnie XVI Kalendas Septembbris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1137.

1295. d. 17 Aug.

Anagni.

Påven BONIFACIUS VIII:s Bulla till Dom-Prosten och Dom-Capitlet i Upsala om NILS ALLESONS utnämning till Ärke-Biskop.

A. I. a. I. 44.

BONIFATIUS episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs.. Preposito et Capitulo Ecclesie vpsallensis, salutem et apostolicam benedictionem. Cor nostrum iocunditate perfunditur, et in domino ex intimis exultamus, cum ipso faciente qui concordiam in sublimibus operatur in ecclesijs uacantibus personas concorditer eligi contingit ydoneas in pastores, ad quarum expeditiō nem celerem nos in plenitudine sollicitudinis superna dispositione uocati officij nostri debitum uigilanti studio impertimur. Sane bone memorie fratre Johanne tunc Aboensi Episcopo, qui post obitum pie memorie Magni vpsallensis electi, et consecrati, a uobis ad ipsius vpsallensis ecclesie regimen concorditer extitit postulatus, ante receptionem pallei uiam uniuersae carnis ingresso, uos uocatis omnibus qui uoluerunt, debuerunt, et potuerunt co mode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est conuenientes in unum, et spiritus sancti gratia inuocata, deliberantes in huiusmodi negotio per uiam scrutinij procedere, Tres ex uobis uidelicet Euerardum presbiterum, Gerardum Diaconem, et Hemingum subdiaconem, Canonicos eiusdem ecclesie ad scrutanduin ea uice sua et singulorum omnium uota, unanimiter et concorditer elegistis, qui secedentes in partem, uotis ipsorum et omnium uestrum exequisitis venerabilem fratrem nostrum, Nicolaum archiepiscopum vpsallensem, tunc Decanum ipsius ecclesie, in remotis agentem, in uestrum, et predicte vpssallensis ecclesie archiepiscopum elegerunt, contra quam electionem de ipso factam, et eius processum per dilectum filium Karolum Erlendi Canonicum ipsius ecclesie, tunc in Romana Curia existentem, extitit appellatum, et negotio ipso ad sedem eandem legitime deuoluto, dilectus filius frater Petrus de Murrone tunc Celestinus papa Quintus, predecessor noster, causam electionis huiusmodi nobis tunc tituli sancti Martini in Montibus presbitero Cardinali, discutiendam commisit. Nobis itaque ante discussionem plenariam electionis predicte sicut domino placuit ad apicem apostolatus as

Sv. Diplom. II.

25